

REVERENDO ET EX-
IMIO VIRO D. GERARDO

ab Hamericourt, Monasterii. S. Bertini

Abbati, Antonius Sconhouius

S. P. D.

CHronicon hoc Marcellini Comititis, quod
diutius apud me latere, amici quidam nõ
passi sunt, ideo tibi ornatissime Præsul
dedicare volui, quòd eruditione bonarum lite-
rarum cæteros ferè nostræ regionis antistites
præcedas, valdeq; delecteris historia, quæ haud
dubiè vitæ magistra est vt inquit ille: Neq; ve-
rò dubitavi quin illa tibi longè gratissima futu-
ra esset historia, quæ rerum in ecclesia nostra
Christiana gestarum in Oriente (cuius orbis
partis mira est Latinorum apud nos scriptorum
inopia) breuem narrationẽ continet. Quis au-
tem is fuerit Marcellinus nondum mihi com-
perire licuit, non videtur idem fuisse, cui Am-
mianus prænomen est, qui vno & triginta libris
à principatu Cæsaris Neruæ vsque ad obitum
Valentis, tam Orientis quàm Occidentis res
gestas à Romanis, descripsit: Nã ætate ducentis
penè annis distare videntur, siquidẽ Ammia-
nus sub Valente, noster verò sub Iustiano Im-
peratore vixit. Cæterùm hic se initio operis cla-
rissimum fuisse testatur, Comititis (vt opinor) no-

mine, fuerunt enim Comites omnes ferè clarif-
 simi habiti Iustiniani ætate. Itaque adiectus (ut
 apparet) huic fuit Marcellino, dignitatis atque
 officii titularis vt eo à Marcellino Ammiano di-
 stingueretur. Prosequitur autem is auctor Eu-
 sebi, diuique Hieronymi Chronicon, quod li-
 cet faciat & Prosper Aquitanicus eo paulo an-
 tiquior, tamen multò plura, præsertim rerum
 Orientalium, iste habet: vt hac in parte illi lon-
 gè præferendus sit. Nec posthac magna parte
 operis vtriusq; Palmerii, aut Hermanni Contra-
 Æti (qui Prospero continentem historiam an-
 nexerunt) opus erit, cui Marcellinus noster erit.
 Multa sunt in eo quæ ab aliis Chronographis
 discrepant, sed ea malimus doctorum viro-
 rum iudicio relinquere, quàm nostro te-
 merè censere. Vale Brugis, Nonis

Augusti, Anno à nato Christo

Milles. quadragesimo

quinto.